ut apud Turingios et ceteras gentes sue dicionis ob pacis habundanciam, quod mirabile videbatur, Augusti tempora crederes. Non comiti, non militi, civi, siue rustico, si de preda furto vel eque similibus viciis accusati et conuicti fuerant, remota omni personarum accepcione, et muneribus que judicis sepe excecant, parcere noluit rigorose districte judicans et dampnans. Pijs pius et malis durus erat. Deus, cui omnia presencia sunt, hujusmodi opera justicie, nec non et pietatis que timore ejus exercuit in eo previdens mulierem bonam, sanctam et pudoratam illi sociavit secundum illud Ecclesiastici: Parum bona mulier bona in parte bona timencium deum dabitur viro pro bonis factis. Nam dicit idem gracia super graciam mulier sancta et pudorata. Domus et divicie dantur a patribus, a domino autem proprie uxor prudens. Verba sunt Salomonis. Quam fuerit pius et devotus nobilis iste Lantgravius ex hiis que dicturus sum, facile perpendi potest. Sicut a domino Theoderico didici, venerabili archiepiscopo Treuirensi, cum nocte quadam simul in lecto jacerent et vigilarent,